

sententiamque suam contra *Richardum Simonium* in *responsionibus* illi oppositis latius defendere conatus sit. At veteribus satisfecit *Hieronymus*, tabulamque de 72. cellulis, *Γεωμετρίαις* fundamentum, refutavit. *Vossium* a. ita repressit laudatus *Simonius*, ut ille, licet sibi persuasisset, se omnes devorare posse, propemodum tamen ab hoc *Simonio* devoratus sit, iudice *Tenzelio Coll. Menst. Ao. 1689. p. 580.* De scriptis ipsis eristicis conferri possunt *Acta Er. Lips.*, quæ contenta scriptorum breviter exhibere consueverunt. Itaque fatendum, quod quædam quidem ex antiqua adhuc versione LXX. virali in ea, quam adhuc hodie possidemus, supersint; prout ex locis in N. T. & Patribus extantibus apparet, cum Spiritui S. versione ista, etiam in locis quibusdam, ubi a fontibus recedit, uti placuerit, non nude καὶ ἀντιστοιχίαν & per descensum, uti cum multis vult *B. Scherzerus System. Loc. 1. §. X. p. 11;* verum potius, ubi veritas rei, etsi sine interpretum intentione, nihilominus servata fuit, quæ est mens *B. Pfeifferi Crit. Sacr. cap. XI. quæst. 4. p. 326,* qui ipsum locum *Hebr. XI, 21.* à *B. Scherzero* allegatum juxta hanc hypothesin resolvit in *Dubis vexatis ad Gen. XLVII. 31:* interim tamen veram atque incorruptam LXX. viralem versionem non habeamus amplius, quia in ista, quam hodiè ita appellamus, virorum LXX. versione tot tantæque ab originali textu reperiuntur differentiæ, in confusione literarum, neglectu punctorum, vocum jungendarum divisione, dividendarum conjunctione, quarundam additione, aliarum omissione consistentes, ut Hebræis viris, Græcæ simul linguæ non summe imperitis, ac a malitiosa depravatione alienis vix adscribi posse videantur. Conf. uberius *B. Schomerus Theologus quondam hujus Academiae acutissimus in Coll. noviss. controv. cap. 2. §. 7. p. 24. it. B. Pfeifferus l. c. p. 323,* & magno numero ab eo allegati. Ultimus ex citatis Theologis inter argumenta corruptionem versionis septuaginta-viralis adstruentia refert *loc. cit. p. 327: quod loca à Talmudistis in Megilla c. 1. f. 9. adducta in hodierna versione græca ita non habeantur.* *Lightfootus* verò in *Addendis ad C. XIV. 1. Corinth.*, quæ reperiuntur in *Horarum Hebr.* sine collationem instituit *Historiæ de LXX. interpretibus*, prout apud *Josephum de Antiquit. Jud. Lib. XII. c. 20* & *Talmudicos* loc. cit. reperitur, atque rationes proferre allaborat,